FABRICÆ LAPIDIS ANGULARIS EMINENTISS. S.R.E. CARDINALIS ALDERANI CYBO…

Francesco Berrettari

Digitized by Google

Digitized by Google

1023.16

Digitized by Google

1023.16

A 1

FABRICÆ LAPIDIS ANGVLARIS

EMINENTISS. S. R. E. CARDINALIS

ALDERANI CYBO

Primi, totiuſque Status à Secretis Miniſtri

SANCTISSIMI D. N.

INNOCENTII PAPAE XI.

PANEGYRIS

FRANCISCI BERRETTARII.



Ber

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

MASSÆ, M. DC. LXXVI.

Ex Typographia Hieronymi Marini. *Sup. permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. S. R. E. CARDINALI

ALDERANO CYBO

SANCTISSIMI D. N.

INNOCENTII PAPAE XI.

Primo, totiuſque Status à Secretis Miniſtro.

Alluditur Gent. Stemm.

EPIGRAMMA.

AD Regni curas, ad Munera Prima Sacerdos
Maximus Innocui Nominis vrget opus:

Huic grates, tantoſque tibi, Alderane, labores
Integra Chriſtiadum debet in Orbe Fides;

Nàm benè fulta Dei, medioque locare, ſuperque
Quadratum Lapidem tollere Tecta decet.

Digitized by Google

Digitized by Google

FABRICÆ
LAPIDIS ANGVLARIS:
PANEGYRIS.

SI fauſtis Italus plaudit reſupinus ad aſtra
Vocibus, & Latio Diuis animata ſupernis
Pontificem noua Fama canit; ſi fidus in orbe
Terrarum exultat Mundus; quo Numine tandem,
Aonides, rapimur? Vobis ea gaudia Vatem
Participare ſolent; ſed enim ſecus ardua primo
Quamuis me intuitu dubium nunc culmina terrent,
Vos tamen hinc rerum partes auferre iuuabit,
Venerit vnde metus; ſublimia namque benignis
Auſpicijs reſerare Viri pia Tecta laboro.
Limes erunt tantùm Moles, quibus arte monendo
Vnanimes mecum Diuæ aſpirare poteſtis.
Eia agitè intereà, veſtram dum præſtolor Vmbram,
Machina quæque ſimul ſacro reparata tenore
Inſurgat ſuperis: atque Heros murmuris Oeſtrum
Audiat ille libens, nec carmina noſtra recuſet.

 Iàm

Digitized by Google

Iam tandem hybernæ primæuum lucis ad ortum,
Sole diem, noctemque pares voluente, Polorum
Ianitor ipſe Petrus, Paulus comes ipſe tot Vrbis
Limina ſub Montis celſa Teſtudine Templi,
In gemino Triuiæ curſu longæua remenſi
Vaticinantis erant: Cæliquę arcana precantes
Ambages inter, dubiæque in cardine cauſæ,
Quæ fuerant olim procul, exaudita petebant;
Cum, quæ dicta Fides Chriſti Romana, ſolutis
Concilij foribus Procerum, quos purpurat alta
Aula Sacerdotis toto regnantis in Orbe,
Acceſſit, primoſque ſuos ſtetit ante Magiſtros,
Cæruleas velata comas, & corpore toto
Vſque voluta pedes, peltamque, facemque ferebat;
Quam Petrus, cui nota ſatis Matrona, locutus
Occupat: O Thybris nunc vera, meique ſuperſtes
Nata, Thronique decus, plagis generata cruentis
In Chriſti pretium; ſi tandem fracta videre
Clauſtra licet, plauſuque Vrbem gaudere ſonantem,
Dic, implere ſinum quo Succeſſore iuuabit?
Sic ait. Illa autem properans ita fatur: Habemus
(O veneranda ſenum ſaluè ſanctiſſima Proles)
Flaminis Vndecimi, Benedictum Numinis Omen
Nomine Pontificem. Cæli de vertice miſſa,
Quò fueram, vt noſtris placitum ius rebus haberem,
Concilium è Patris gremio Conclaue petiui.

Digitized by Google

Sic effata Fides. Sic orſus Apoſtolus: Ergo
Non vana admiſit mea feruida Vota Redemptor;
Sors tulit emeritum, quoniam non irrita Cæli
Flamma Virum monſtrare ſolet. Iam digna labore,
Petre, tuam meruiſſe Vicem, ſedemque canebat
Purpura Odeſcalcum: iàm iàm ſignata lapillo
Affuit Alma dies; ideò neque Carmina Vatum
Defeciſſe vides. Felix ditata ſupremo,
Inque vices miranda Patrum, tu Roma, parente!
Indolis id Probitas, Virtus, moreſque, Fideſque
Intemerata docet, monſtrant id pectoris Ardor,
Relligio, & Pietas, quo ſe, populoſque fideles
Conciliat ſuperis: probat Odeſcalca Vetuſtas,
Nobilitaſque Domus: Princeps, Rex poſtulat omnis
Sede Sacerdotem: præſtat Clementia, quærit
Iuſtitia, & Pax, & cunctis Prudentia rebus.
His illa auditis: Certè memorabile factum,
Tantaque Fama Viri dignis celebranda Camænis!
Vt verò melius (poſtquam res poſtulat) ordo,
Et conſtet ſeries, ſenſuſque occulta pateſcant,
Vos audite ſenes, curas adhibete, docebo.
Auſpicio, caſuque ſuper miſeranda maligno
Secula prætereunt, quibus exitialia ſemper
Damna tuli, rebuſque meis aduerſa, nec vnquam
Vota, preceſque mihi in tantis iuuere periclis:
Namque inimicus homo Cæli reuolutus in Agro,

Vt lucrum Diti faceret, mala ſemina fudit;
Præque cauere licèt Summus curaret in omni
Romuleus ſacro ſemper Diplomate Paſtor,
Iactura hinc noſtri fieret; tamen auſpice ſenſu
Præcipuæ rerum periere à Cardine cauſæ.
Continuò hos dolui errores, ac talia paſſus
Crimina ſuſtinui, tantoſque in fraude labores.
Vltimus è terris Vni, Trinoque Tonanti
Diuinos inter rapidè tumulatus honores
Deceſſit Clemens, iterum ſtatui haud mora iuſtas
Suppliciter renouare preces. Vix ante Tribunal
Omniparentis eram feruens admiſſa Seraphim;
Cum Deus, intuitu cui ſolo cuncta niteſcunt,
His me me voluens imperſcrutabile pectus
Vocibus aggreditur: Quæ te gratiſſima Nati
Nata mei, vires, mea magna potentia, quæ te
Cura premit crudelis adhuc? iam parce dolori,
Filia, parce metu; neque enim fatalia noſtras
Conuicia intereà patiar ſeducere partes.
Haud animis occulta petis: ſtat cura Senatus
Oſtriferi in Tectis de Succeſſore creando;
Ergo ibis, perque ingreſſus tunc limina quære,
Quem cupis, inuenies. Nec plura: ità dixit. Abiui;
Ceù Canis ille vigil latè Venaticus errat,
Perque vagas nemorum latebras, campoſue patentes
Feruidus in prædam nunc huc, nunc voluitur illuc,
Donec

Digitized by Google

Donec ad amiſſi redeat Cuſtodis amorem:
Ter vacuus ſubeo, Procerum ter Clauſtra cucurri,
Iamque iter emenſo medijs nox aſtitit vmbris.
Ecce autem improuiſus adeſt de tramite ſplendor
Fulgentis Thalami; Qualis recaleſcere Cæli
Nimbus ab axe ſolet tenebroſa æſtate, leuique
Serpere concurſu. Ingredior, dignamque reuiſo
Non ignotam hominis formã, quę purpura Magnum,
Præſtantemque docent mores, clarumque Propago
Cùm virtute probat; namque arduus inter inanis
Pulueris exiguam partem, intentuſque profunda
Tres adeò inſignes formabat nocte Figuras:
Incomprenſum oculis, ſed fixa mente legendum
Verè opus, Artificis ſi reſpicis ordinis vſum.
Iàm vobis manifeſta patet ſatis inclyta Cybò
Ipſa Viri à ſeclis, præclaro à ſanguine Virtus;
Alderanus erat, quem ſum ſic talibus orſus
Compellare notis: Heùs ò Pater optime; iuſſit;
Quæ tibi nunc refero, rerum ſine fine Creator
Iàm video: magnos curas aliunde fauores,
Quàm credunt populi; merito das Vota libenter
Ipſe Petri ſolium, Succeſſorique fideli
Inſinuas Comites. Sedenim, quod reſtat agendum,
Perge ſub incæptis patrare laboribus omen.
Ecce Fides: ergo ſi toto pectore noſtrum
Perpetuum ſeruare tuo meditaris amorem,

Meque

Digitized by Google

Meque iuuare poteſt ægram tua ſana voluntas,
Siſte ſub augurio; nam ter Legatus, & Vrbis,
Orbiſque ingenuus præſtanti laude Miniſter
Acclamatus ades populis, ſed prima locandis
(Haud ignota loquor) magnis in Molibus vltrò
Cura ſit, ac ſtimulus; namque iſthuc vſque priores
Attigimus tantùm modulos, vmbraſque fugaces.
Vix ea, cùm ſubitò dicta hæc dedit ille viciſſim:
Magna Parens, Regina Deum, cariſſima curis
Cura meis; longos dulce eſt perferre labores,
Ipſamque in terris pro te profundere vitam:
Nullo equidem famamque tuam, nomenque, decuſque
Tempore, nec renui cunctis pro viribus ipſe,
Quo te cumque tuli, laudes celebrare ſupremas.
Ex illo, quo prima breui lanugine malæ
Me Sacris penitus verſum libauerat ætas,
Fixa animis adeò creuit ſententia menti,
Vt ſi fæcundos, Regnique ea digna poteſtas
Vlla meos vnquam longos veniſſet ad annos,
Pro te me vltorem promiſſi ex hoſtibus, atque
Pro Pace aſſiduis votis odia aſpera moui.
Nunc primùm, vt cernis, (faueant mihi Numina, ſoluā,
Sume, breui rerum curſu compendia) ſacram
Hiſpanis fundare placet Ductoribus Arcem,
Quam ſuper inuigilet Chriſti Reſpublica, donec
Et lingua, & gladio nunc hàc, nunc labilis illac,
Vndique

Digitized by Google

Vndique tota premens, inculcans vndique ſemper
Extirpare queat collatis viribus Hoſtem.
Hic labor aſſiduus prorſum conferret ab omni
Parte vibrare loci ſacrorum ſpicula Vatum:
Hic ſtudium celſæ per crebra foramina Turris
Audaces animos rigidis proſternere telis,
Armataſque manus, forteſque ad prælia turmas
Cogere laturas Phlegethontis in arma tryumphos.
Hanc ſubter Molem, tetraque voraginis atra
Nocte ſpecus, Caluine, cadas, cui millia ſtringant
Ferrea vincla manus, pedibuſque, & gutture monſtres
Peſtiferi ſcelerare tui mala dogmata ſenſus.
Auſtria tota Domus ſedeat circumflua muris,
Vtque ſolet purgata ſuo de more potenter,
Intentaque manu depellere Monſtra fatiget.
Aſt quoniam Reges Titulo muniuit Iberos
Ille mei Innocuus generis de ſemine Paſtor,
Nec ſecus eſt cautum ſummo ſibi iure Tribunal,
Cui nunc præſideo, ne vnquam fœdata maneret
De niueo candore ſuo tua pura, nitenſque
Pectoris integritas, nec mota à Lege Decori;
Sic decet has partes me ducere rurſus. Vt autem
Exaltata, omniſque ſuper faſtigia Gentis
Mirandum cunctis vlla ſine fraude reſerues
Maieſtate Thronum, atque ferat labor Incrementum,
Gallia, ceu lato quadrata Palatia gyro
Ædificet,

Ædificet, decoretque Domum, quæ libera præſtet
Imperium, Regnumque tuum ſublime perennet:
Gallia, quæ toties labefacta Sede cadentes
Suſtinuit partes, Dominique in fronte Tiaram.
Hic Leo ſæuitiem, Carloſtadiuſque rebelles
Perfidiam terrore luant: ceruice deorſum
Suſpenſi in valuis iaceant, documenta nouandis
Legibus Vgonis populata cæde Clientum.
Magnus in excelſo, geſtorum Maximus Auctor
Limine præſideat Carolus, quem norma benignum,
Belligerumque tibi Reges oſtentat ad omnes.
Hunc prope Gaufridus dextra Vexillifer altæ
Expandat pia ſigna Crucis, læuaque vocatas
Congreget aſſiduus Ludouicus ad arma cohortes:
Non aberit vetus ille meorum acerrimus enſem
Strictus Eques, Solymamq; ſuper celebratus Hilelmus.
Sed iam ſublatis nunc tertia Machina muris
Reſtat, Templum ingens, centum immortale columnis
Sacrandum Paci; ſolido de marmore ſurgat
Ara nitens, quam mitè ſuper bis offerat ipſam
Diſcipulis Pacem, ſanctique inſufflet Amoris
Chriſtus Auaritiem. Medijs Germania campis
In faſtum Sacri Imperij, Sceptrumque regentis
Accipiat, teneatque datam per ſecula Molem,
Principibus noſtris ne rixas inter, & arma
Deficiat robur, victorque ſuperſtet Auernus;
Vndique

Vndique Vota ferant Reges, populique fideles
Accumulent laudes, pleniſque Holocauſta Tabellis.
Eſt, Luthere, locanda tuo noua Machina dorſo,
Quæ te tanta premat, donec ceruice ſolutus
Percutias iterum tenebroſi Acherontis arenas.
Non hoc pacifici Reges, Regumque Miniſtri
In ſumptus tantorum operum viduentur honore:
Huc clarum genus omne ruens ſacra Tecta perennet;
Verùm idem exemplar noſtra de Gente ſupremus
Me monet Imperio Pacem portaſſe Sacerdos:
Portarent horum non ſic inglorius omnes,
Qui ſunt, & venient reliqui per ſecla Minores.
O ſi, tanta furunt quæ nunc incendia belli
In Chriſti populis crudeli funere Martis,
Flammarumque globos rixarum extinguere poſſem!
Aurea Pax eſſet, Saturnia ſecla redirent
Protinus in noſtros Reges, acieſque, Duceſque;
Libertas namque, & praui mala dogmata ſenſus
Cuncta viderentur marceſcere lurida cæno,
Dum Romana Fides ò tu de limine Petri
Vera per ambiguum ferres præconia Mundum,
Semina nec ſineres perſerpere terra. Quid ergo
Hæc ſi cura meos mordet gratiſſima ſenſus,
Impatienſque trahit noctes vigilare profundas?
In te tantus amor, tantus mouet ardor honoris!
Hæc ego dicentis cauſam ſolabar amici;

Cui

Digitized by Google

Cui rurſum in ſinuo; Manet alta mente repoſtum
Iudicium Patris Æterni, quo firma voluntas
Hæc tua de Cælo præſens ſolidatur in æuum.
Spes vtinam, quæ ſponte tuis accommoda votis
Sola fuit (nec longè aberit) feſtina reportet,
Quæ precibus, iuſſuque tuli reticenda petito.
Debita polliceor tibi præmia: ſurge, nec vnquam
Abſtinuiſſe oculos, aureſque, manuſque, pedeſque
A re munifica, claroque labore pudebit.
Talia dicta dedi, ac ſubitò deluſus in auras
Illius ingredior penetralia cordis, & intus
Solicitas iterum curas renouare laboro.
Aurora intereà pluuijs madefacta, rubriſque
Compta roſis primam lucis decorauerat horam;
Egredimur Thalamo: Votis fluit vndique plenis
Ad Triplicem digna dandam pro fronte Coronam
Pontifici acclamans, totoque Senatus in vnum
Limina ſuffragio Summi regnantis adorat;
Vt cum læta ſimul claro, Cæloque ſereno
Obſequium præſtare ſuum fulgentia cernis
Sydera; gaudet ouans nitido circumdata Cætu,
Atque Ignes inter rutilat noua Luna Minores.
Tum Pater vt, Leges qui Diuû, hominûq; gubernat
Me vultu, & Corde Alderani inſpexit, & ore
Verſantem: amplexu fouit, ſanctumque calorem
Vtriuſque bibit, veniſque infudit, & altas
Diuino

Diuino accendit penitus feruore medullas.
Vidi ego tunc Domini Arcanis, fierique Miniſtrum
Participem, magnaque recens in parte laborum
Conſilijs hærere: bonis ſeu præmia poſcat,
Siue malis pœnas, ſcelerumuè hinc detegat Hydras,
Harpyaſque fuget, ſiue hinc fera fulmina vibret.
Ergo halacri aſpectu, vos ò, qui Claue, ſimulque
Enſe tenetis iter Cæli, gaudete: reſultet
Conſpicuo regnata Patre, plauſuque decoro
Roma ſonet: repleat Dauidicus organa cantus,
Nec ceſſet laudare pios ſacra Muſa Penates:
Puluere nitroſo munitæ ad ſydera Turres,
Templorumque Arces reboent ſtridore per Vrbes:
Aera parent fabri, Carraria ſoluat ab altis
Rupibus, ac niueis ſudet pretioſa metallis:
Celſa reformentur dignis monumenta trophæis,
Inciſiſque notis componant Carmina Vates:
Ecce Lapis, Lapidum cumulo delectus auorum
Stemmatico, quem nempe ſuper fabricata coruleis
Numinibus Cæli Fidei Tria Tecta regentur:
Cui Pax inſtruitur, cui ſublimata per Orbem
Relligio exultat, dum tetras Hæreſis artes
Extirpare feris penitus terroribus vrget;
Qualis Atlas humeri ſubductis viribus altas
Aſtrorum moles, quæ ſe ſe cumque volutant,
Suſtinet aſſiſtens, atque horridus, acer, & ingens

Librat

Digitized by Google

Librat onus, nullaque ferens à parte vacillat.
Arma igitur Barathrum, & per formidabile regnum
Bella parent Lemures: coniurent Tartara ſæuis
Dira Satellitibus: Rabies, Furor, Ira miniſtret
Inſidias, Sanctaſque Domos radicitus altas
Sumptibus erectas iterum conuellere tentet:
Suſcitet Hæreticas Satanica turba cateruas
Inuentis fraudum pariter fallacibus; Vnde?
Et quid vis Erebi poterit? quid fuſa venenis
Stagna colubriferis Fidei nocitura valebunt?
Cuncta hæc verſa retrò Magnus Fabricator in hoſtes
Prouoluet, Ianique fores, atque horrida belli
Clauſtra catenato prorsùs Mauorte ſerabit.
Dixit, & extemplo latè ſonuere tumultu
Atria Pontificis; longo namque ordine ſacri
Incedunt Proceres, oſtroque nitentia complent
Tecta: Domus refremit, Templique altaria fumant;
Dumque Tholi ſubter magna teſtudine Summus
Partitur Paſtor cæleſtia (Numine Petri
Auſpice) ſigna Crucis populo, tunc ſydera læuo
(Stare Fides, Cælum Diui remigrare) coruſca
Intonuere Polo, de quo Deus annuit alto,
Stelliferam nutu recreans per ſecula Molem.

F I N I S.

Z
1023. 16
99 956386
Digitized by Google

Digitized by Google

MC